Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

So Si modo nunquam argento non utatur polemarche. tum autem communiter
uti et emere equum vel vendere opus sit / tum magno ut puto
utilior / nonne pol utique So Cum vero navem nonne gubernator
et nauta pol Certe So Cum igitur argento vel auro uti
opus erit / qua in re iustus ceteris utilior pol Cum deponere
oporteat et salvum esse o Socrates So Sic dicis cum ipso nichil
necesse sit / sed iaceat pol omnino So Cum igitur argentum inutile
tunc ad ipsum utilis iusticia pol apprime So Et cum falcem ser-
vare conveniat iusticia et privatim et publice utilis / cum uti
expediat agricultura potior pol Apparet So Dicis itaque
cum clipeum et liram custodire et nichil uti opus est utilem
tunc fore iusticiam / cum vero utendum miliciam et musicam
pol Necesse existimo So Et in reliquis unicuique iusticia ad usum · Iocunda conclusio
unicuique inutilis ad abusum utilis fiet pol Sic profecto So
Nec quidem amice magni cuiuspiam iusticia putanda est
siquidem ad inutilia utilis est. Verum hoc consideramus.
Num qui aut pugno aut alio quopiam in bellis percutere
astutus est. idem et precavere promptissimus pol omnino
So Qui vero morbum novit declinare / num idem alteri clam
sciet inferre pol Michi sic videtur So At is quidem optimus
custos exercitus habendus est / qui hostium consilia moliciones
ceterasque res novit furari pol Certe So Cuiuscumque rei optimus
est custos eiusdem fur optimus ut sit necesse est pol Profecto So
Si ergo iustus argentum custodire aptus est / et furari aptus
pol Sic racio videtur innuere So fur igitur quispiam ut apparet
et erit iustus. videris que ab homero didicisse. Is enim ulixis
ex matre avum eutholicum diligit / aitque super cunctos mortales
furto ac periurio conspicuum extitisse. Iusticia igitur secundum te ho-
merum et Symonidem furativa quedam fuerit / ad amicorum
comoda / inimicorum vero incomoda / num sic aiebas pol Non per
iovem nunquam / sed non satis quid ipse dicam novi. hoc tamen michi
apparet. amicis prodesse inimicis obesse iusticiam So Amicos